

*Portenta* de euentis in presentia fati: uideamus portēta. Huius generis duplicem uideo rationem. Nam si latē patenti sensu portentum sumant, Lunæ corona, aeris rubedo, statuarum sudor portenta erunt. Portendunt enim, naturaliter tamen, effectus proximos uiris doctis notos. Verū enim uero res inaudita, & sapientibus uix credenda, uel potius ab omni fide aliena, ea verē prodigia, & monstra, & ostenta sunt. Etenim à Deo solo ista esse nō dubitatur. Hoc tamē perspecto, nempe aliquid à Deo fieri, sine ulla naturæ uic (quod iudiciū tamen est fallax, multa enim sunt à natura, et ab humanis etiam uiribus, quę superant intelligentiam nostram) perspecto tamē hoc esse à Deo, si ulterius progrediamur, rem eandē esse nouæ rei uel signū uel causam, in periculo magno uersamur. Quare id ipsum asserere hominis est fatentis ignorare se aliquid, simulq; profitentis naturam eiusdem rei sese tenere. Quod si de monstro dicere, signum est huius rei, temerarium sit, quantus erit illorum animus (ne grauius quid scribam) qui simul & signum & causam dicunt? Et qui non tantum de genere toto, sed etiam de partibus loquuntur, asserendo uel beneficii (quod rarissimē dicūt) uel maleficii species, pestem bellum, diluuiam, hæreses, prodiciones, alia sexcenta mala laudandi ne sunt? Quæ uerō Diuinorum ratio est fateri incertas esse de ijs coniecturas, Deum stellis non obligari aut Cometis: tamen audacter interim, ac ordine, omnes calamitates minari, & in eum, qui minus his credit, acriter inuehi? Et quanti sunt illorum spiritus, qui nobilibus & masculis, & fæminis, & prægnantibus, & præfectis, & quæstoribus minitantur? quamue ijs credendum, qui tam familiariter cum Deo agunt, & de stellis, & Cometis tractant, ut uiso Cometa, pestem, & interitum canum, pecorum, armentorum & aquatiliū præcinere audeant.

*Vera miracula*

*Temeritas in iudicādo*

*Stoica cōtentio*

Cap. V.

Sed cominus ac pressius more Stoicorum, Si Cometa signum,